NOZZE

RANGONI-NEMBRINI-GONZAGA

OTTOBRE MDCCCLXXXXVIII

A S. E.
Il Principe Don Tommaso Corsini
Senatore del Regno
Riverente Omaggio di A Milli

PER LE NOZZE AUSPICATISSIME

DELLA MARCHESINA

ANNA MARIA RANGONI

E DEL MARCHESE

CARLO NEMBRINI-GONZAGA

DOTTORE IN LETTERE.

6

ANGIOLO MILLI

VERSIONI LATINE

FIRENZE
TIPOGRAFIA BARONI E LASTRUCCI
Via dell'Orivolo, 33
1898

Gentilissima Marchesina,

Il faustissimo avvenimento a cui Ella si prepara mi offre occasione gradita di manifestare la mia devozione verso la nobilissima famiglia sua e di tributare un omaggio sia pure modesto alle egregie doti di Lei. La grazia, la ineffabile bontà e la non comune cultura onde Ella va adorna e anche il pensiero dello Sposo e del Padre suo che alla grande nobiltà del sangue aggiungono la nobiltà non meno grande degli aurei studi, mi consigliarono di partecipare alla festa della sua Casa coll' offrire, dedicate a Lei, alcune versioni latine.

Non mi dica che con questo latino vado a ritroso della corrente: simili lavori non sono che esercitazioni scolastiche e ricreazioni geniali.

Augurando felicità mi professo con ogni ossequio

Suo dev.mo
A. MILLI.

Firenze, Ottobre 1898.

IOSEPHI PARINII

CARMEN INSCRIPTUM:

LE NOZZE.

Quam dulce est, vitae tepidis florentibus annis,
consortem thalami sumere, amore duce!
Tunc primas recolit mens curas atque labores
queis maior subito laetitia exoritur.
Cor tremit occiduas cum sol festinat ad undas,
immensa ex oculis atque cupido micat.
Mane novo, dulces cum Phoebus excitat auras,
miraris vultum cunjugis egregium.
Quam spectanda toro cum membra relaxat et ulnas
protendit niveas ad latus ipsa tuum!
Huic praeter solitum pendent sine lege capilli
queis tegitur, fluitat qui velut unda, sinus.
Dulce videre genas eius, quas purpura tingit,
perclaro somni quaeque madore nitent:
ceu rosei flores quos supra aurora resurgens
rorales tenui jam modo fudit aquas.
Dulce videre illam reserat cum lumina soli,
cum quaerit trepidans conjugis atque caput,

grataque cum loquitur, cum risibus ora serenat,
blanditias renovat cum pudibunda suas.
O juvenis, soboles heroum nobilis, anni
dum florent, rident sic bona fata tibi;
tectum namque tuum cras chara puella subibit
cui mite ingenium, gratia, forma nitens.
Ast heu quam viridis dulcisque elabitur aetas!
quam cito labuntur deliciae Veneris!
Quae placuere decus rebus mox abstulit usus,
vanescunt juvenum somnia pulchra cito.
Scilicet es nimium tu felix inter amantes,
tectum namque tuum chara puella subit,
cui mite ingenium, cui gratia, forma decusque,
candida cui virtus, nec superandus amor.
Virtus constantes ad funera ducit amores;
fert aetas juvenum florea serta vorax.

FRANCISCI PETRARCAE

CARMEN CUI INITIUM:

QUEL ROSIGNOL CHE SÌ SOAVE PIAGNE.

Quae charos natos et charam plorat ademptam
consortem, forsan, nunc philomela suam,
flebile depromens docto modulamen ab ore,
dulci auras implet ruraque laetitia;
et totam noctem nostri comes esse videtur,
adversus casus et memorare mihi.
Ipse mei fueram tanti nam causa doloris,
ipse Deas numquam posse perire ratus!
Qui se tutatur facile est illudere. Quisnam
lumina pulchra duo, sole corusca magis,
credidit obscuram fore duro funere terram?
Percipio tandem (quod fera fata volunt!)
inter tot lacrymas interque pericula vitae
durare in terris atque juvare nihil.

FRANCISCI PETRARCAE

CARMEN CUI INITIUM:

SENTO L'AURE MIE ANTICHE E I DOLCI COLLI.

En veteres halant aurae; jam surgere colles
    jucundos cerno, sol ubi natus erat,
quo laeta et studiosa mihi, dum fata juvaret,
    lumina ridebant, turgida nunc lacrymis.
Stulta heu consilia! heu spes irrita, vota caduca!
    herbae sunt viduae, turbida currit aqua;
est gelidum nidum jacuit quo diva; jacere
    quo volui vivens exanimisque simul,
illius a pedibus sperans oculisque benignis,
    queis arsi, haud nostris gaudia nulla malis.
Saevo servivi domino; dulcissima namque
    ante oculos fulsit dum mihi Laura focus,
illius totum flagrabat pectus amore,
    at sparsos cineres nunc super usque gemo!

IOSEPHI PARINII

CARMEN INSCRIPTUM:

LA PRIMAVERA.

Ver redit, et puras foecundat odoribus auras
 mollibus; optatum ver redit ecce novum.
Floribus arva nitent herbisque recentibus; almum
 ad nidum praeceps garrula hirundo volat;
illius atque soror renovat moestissima cantum;
 nocte dieque gemens oscula turtur avet.
Lanigerae invisum pecudes praesepe relinqunt,
 flagrantemque student carpere ubique thimum.
Nuda pedem custos comitatur passibus aequis,
 dulce et pastoris nomen in ore sonat.
Dirigit ille gradus resonat qua cantus amatae,
 quam reperit gelidae fontis ubi unda fluit.
Aestuat immenso nunc undique mundus amore;
 naturae in rebus palpitat almus amor.
Despicit una sui gemitus Galatea fidelis,
 crudele hoc tantum cor riget usque gelu.

CAROLI HUBERTI MILLEVOYE

CARMEN INSCRIPTUM:

LE POÈTE MOURANT.

Vates cantabat: radios lucerna fidelis
    spargebat tremulos pallidulosque suos;
deficiebat item, vates cum lumine pallens,
    et tristi extremos edidit ore sonos:
Aruit ecce meae flos vitae: labitur aetas,
    quam praescripserunt iam mihi fata, brevis!
Nostra dies tantis saevisque agitata procellis
    heu! quasi surrexit cum prope Vesper adest.
O lyra fracta jace, tantum dilecta! superstes
    extremis somnis non eris ipsa meis;
carmina sub tumulo mecum sine laude silebunt
    et numquam referes excita dulce melos.
Haud ipse ante thronum cupio apparere severum,
    quo pendet laudes posteritas hominum.
Vos, nostri cursus dispersi jamque sodales,
    vos, chari junxit quos mihi amicitia,
vos imperfectos, haeredes, sumite cantus,
    nonnulli ut resonent usque per ora virûm.

Vates cantabat: manibus delapsa fidelis
    ast heu debilibus concidit ecce lyra.
Est lampas extincta: dies cum postera venit
    immaturus adhuc occubat ille simul.

IACOBI LEOPARDII

CARMEN INSCRIPTUM:

IL SOGNO.

Sol iam surgebat primis radiisque cubile
per clausas postes rutilus penetrabat in atrum;
tempus erat somnus quo dulcior occupat artus
et leviore tegit beatissima lumina velo
cum prope me, spectans, simulacrum constitit eius
quae primi flammis mihi pectus adussit amoris,
meque inter lacrymas deinde exoptata reliquit.
Haud extincta mihi visa est sed squallida qualis
est vultus miserûm; capiti dextramque propinquans
inde meo, verbis moerens est talibus orsa:
Oh! num vivis adhuc nostri non immemor? — Unde
qui venis, ipse rogo, pulchra et charissima semper?
Quantum te dolui, quanto premor usque dolore!
Talia nec unquàm tete novisse putabam,
quo crevit luctus; nunc discessura sed ipse
ne redeas timeo! Quidnam, dic, accidit? Illa
quae prior, appares? quid cordis et intima solvit?
— Magna tuae menti nunc est oblivio rerum

et caligo tuos perturbat nubila sensus.
Adsum extincta, vides plures decurrere menses
ex quo dicta mihi lugens suprema dedisti —
— Immenso haec animam torquerunt verba dolore —
Illa dein sequitur: laetis florentibus annis
oppetii, cum vita magis jucunda, priusquam
nosse detur quanta spe nos pascamur inani.
Allicere haud refert mortem quo sublevet aegros,
aspera sed juvenes tangit; sunt duraque fata,
per quae spes misero jacet insolata sepulcro.
Quae vitae ignaris natura recondit inane
vestigare fuit; coeco multumque dolore
vincitur immatura virûm doctrina. Querenti,
iam, miseranda, tace, dixi; o charissima, quaeso,
jamque tace: mihi cor scindis sermonibus istis!
Ergo cares vita, tu, dilectissima, et ipse
vivere adhuc possum? Tenerum sudoribus istud
supremis mortis corpus tam dulce rigari
ergo erat in fatis? et me superesse dolentem?
Oh! quoties reputans te nunc periisse, neque unquam
me te visurum in terris haud credere possum.
Quid mors? experto detur oh! cognoscere, inerme
subtrhaere atque caput fati crudelibus iris!
Haec mea ceu senium viridis consumitur aetas,
quod paveo quamquam procul absit: mœsta juventa
attamen est similis languenti nostra senectae.
Tum contra: ad luctus est natus, uterque; secunda
fortuna haud risit nobis, coelumque juvarunt
nostra mala. — Oh, lacrymis si tantis ora rigavi
pallida, si multis affligor luctibus, inquam,
ex quo dicta mihi lugens suprema dedisti,
dic, tibi dilectus fueram, dum vixeris? ipsa

num miserata mei? Vitam tunc usque trahebam
spemque metumque inter, nunc frustra arcana fatigant!
Quod si tantorum fueras miserata laborum
vix semel, oh nunc fare, precor: mihi cuncta recurrant!
Noscere nam nobis quae sint ventura negatur —
Laetare, infelix! vivens (sic addidit illa)
nunquam in te fueram pietatis avara neque exsto:
neu super oppressam libeat jactare querelas!
Nec ego nam fueram multorum ignara malorum.
— Per mala nostra, liquat per qui mihi pectus amorem,
per spem deletam, per nomina chara juventae,
da, dilecta, tuam, quaeso, nunc tangere dextram!
Annuit adspectu tristis suavisque; beatus
oscula dum figo et cingo complexibus illam,
it mihi per corpus sudor, vox faucibus haeret,
cedere et ipsa dies pariterque redire videtur.
Dulciter illa meis oculis pia lumina figens:
num te, chare, fugit nulla me jamque venusta
ornari forma, et frustra tibi pectus aduri?
Iamque vale! aeternum mentes et corpora nostra
dividet heu fatum; poteris mihi vivere numquam,
atque fides jurata mihi nunc frangitur! — Imo
tollere clamores magnos tunc corde volebam;
dumque insolando turgerent lumina fletu
excutior somno, sole incertoque micante,
respicere illam felicissimus usque videbar.

IACOBI LEOPARDII

CARMEN INSCRIPTUM:

LA SERA DEL DÌ DI FESTA.

Nox jucunda nitet, silet aura; quieta, serena
Delia nunc hortis et tectis imminet, omnes
aerios montes, latos discriminat agros.
O dilecta, tacet nunc omnis semita, raro
permeat et vitreas lampas nocturna fenestras.
Aedibus in placidis facili, tu, lumina somno
claudis; nulla tuum nam pectus cura fatigat,
nec scis nec reputas quanto mihi vulnere laesum
cor gemat... oh! facili claudis tu lumina somno.
Coelum ego suspiciens quod nunc tam dulce videtur,
omnipotentem naturam veteremque saluto,
me tantum ad fletus heu! quae truculenta creavit.
Ipsa negatur, ait, spes tibi; gaudia numquam
te recreent; oculus lacrymis tibi turgeat usque.
Ista dies sollemnis erat, sed nulla jocorum
nunc tibi cura. Ferunt forsan quibus ipsa placebas,
qui placuere tibi placidi ludibria somni.
Ast ego non subeo, nec spes est tanta; sed atra

haec mihi quanta rogo nunc restet vita dolenti,
dum fremo stratus humi repleo et clamoribus auras.
Heu, lacrymanda dies adeo juvenilibus annis!
artificis cantum. dum jam nox incubat alta,
squalentem repetit qui post solamina tectum,
audio, crudeli crucior magis atque dolore
in mundo reputans velociter omnia labi.
Festa dies abiit, vulgaris et ecce subibit;
sic solet eventus hominum consumere tempus.
Quo cessit veterum populorum clamor? et ipsa
gloria quo cessit nostrorum magna parentum?
Imperium, quo, Roma, tuum, dominata per orbem,
qui armorum strepuit percussus ubique fragore?
Cuncta silent! Cessit cum lux festiva, nitebat
exoptata diu primo quae flore juventae,
insomnes longo noctes moerore thraebam;
tum cantus longe qui deficiebat, amaris
pectus item curis mihi sollicitare solebat.

IACOBI LEOPARDII

CARMEN INSCRIPTUM:

A SILVIA.

Sylvia, num memoras mortalis temporis annos,
cum fugitiva tibi splenderent lumina, ridens
limen scandebas et cogitabunda juventae?
Cantibus usque tuis aedesque viaeque sonabant
circum, foemineis operis cum laeta vacares,
venturae sperans beatissima tempora vitae.
Maius olebat; ita soluisti absolvere tempus.
Saepe ego sudatis chartis studiisque relictis,
queis vitae melius tempus roburque terebam,
charis praebebam, trepidans, concentibus aures,
et manibus densas properis percurrere telas.
Auratasque vias, hortos coelumque serenum
mirabar, montes, longinqui ac aequoris undas.
Dicere lingua nequit fuerint qui in pectore sensus.
Quaenam spes, mentes et corda, o Sylvia, nostra!
Vivere quam laetum visum, fatumque benignum!
Heu! spem cum tantam recolo, mihi sensus acerbus
cor premit et rursus doleo insolabile fatum!

Quid juvat, o Natura, tuam sic ludere prolem,
cum blanda haud reddas quae iam promissa dedisti ?
Occideras, morbo crudeli victa, priusquam
arerent herbae brumali frigore, o virgo!
Non florere tuos vidisti suaviter annos,
non te mulcebant celebrati laude capilli;
non,. quae fulserut verecundo lumina amore;
nec tecum poterant, festiva luce, puellae
quos inspirant amor, blandos renovare susurrus.
Spes mea defecit posthac dulcissima, fatum
heu mihi jucundum et tempus juvenile negavit!
Oh! pubertatis nostrae dilecta sodalis,
spes lacrymata nimis, fueras quo funere adempta!
Hic ille est mundus sortesque? haec illa voluptas,
hic amor, eventus, supra quos saepe juvabat
alterno tantum tempus sermone levare?
Haec genus humanum, dura, ergo, haec fata manebant?
Praebuit ut verum tibi se, misera ipsa perîsti:
inde manus tendens, oculis iam visa remotis,
monstrabas gelidum funus nudumque sepulcrum.

IOSUE CARDUCCII

CARMEN INSCRIPTUM:

NOSTALGIA.

Per nubes, passim, coelum nitet ecce serenum;
circa Apenninum jamque procella furit.
Oh! possim mitis nunc supra turbinis alam
Ethruriae pulchras laetus adire plagas!
Non consanguineûm me cor aut vultus amicûm
illuc iam, studio sollicitante, vocant;
qui mihi subrisit vitae ridentibus annis,
est factus prudens aut jacet in tumulo.
Nec cupio vites, cupio nec cernere oleta;
ex ipsis fugerem collibus uberibus.
Urbium et effugerem plausus cantusque, fenestris
quae sicut vetulae marmoreis blaterant.
Quo arboribus raris creta est umbrata maligna,
arvaque suberibus tetra pererrat equus,
mente ego nunc memori redeo cum turbine: ad oras
proxuma Thyrreni queis sonat unda maris;
moesti ubi florebant viridis mihi temporis anni:
impendam e coelo sic patriae ipse meae!
Denique cum subito delabi fulmine possim
dulces in colles dulce superque mare.

IOSEPHI MANNII (*)

CARMEN INSCRIPTUM:

LA MADONNA DELLA SEGGIOLA.

Oh quam ex antiqua, Virgo pulcherrima, sede,
    cum puero rides usque benigna tuo!
Rides usque benigna, quasi per luminis undam
    virginei adspiciens, et quasi laeta parens.
Sic oculos mulier numquam circumtulit ulla,
    nec niveo a Medicis marmore pulchra Venus.
Oh! tuus adspectus, mites sine labe triumphos
    qui monet et refovet qui mihi pectus amor,
quam saepe, o Mater, subiti ceu fulgura solis,
    obscuram noctem reppulit ex anima!
Indociles sensus, curae tacuere gravantes
    multis cum lacrymis, luce nitente pia;
pugnantes acies inter ceu candida pacis
    signa repente micant et simul arma cadunt.
Dum te respicio et radiantia lumina amore
    perconctor tacitus, dulcis Imago, tua,
pingitur ecce mihi laeto mens ipsa colore
    ista tua ut roseo zona colore nitens,

ceu viride et velum distinctum, clauditur almus
sub collo nitido, quo, Dea Virgo, sinus.
Tum mihi praeteritae referuntur tempora vitae,
tum formae, puero quae placuere mihi,
cum, facibus centum Tibi quae fulgebat, ad aram
candidus ipse dabam vota precesque pias.
Montibus in patriis dic, o benedicta, quibusnam
Te sibi ridentem sedibus aethereis
delapsam vidit Raphael ut tantus ab ore
spiret amor, tantus spiret et arte nova?
Aut quonam occasu moesto te Collis ab altis
attonito vidit lumine porticibus?
Dum summos orbes possim conscendere, Danti
queis visa angelicos laetificare choros,
haec tua, Virgo, mihi, species divina, serenet
noctes, quas perago solus et usque vigil;
vitaque sit facilis! Tunc fata superba refellam
immemor ipse iras et miseras hominum!

(*) Mi sia permesso riportare questa lettera dell'illustre p. Giuseppe Manni con la quale mi incoraggiava a pubblicare non solo la versione della sua bellissima elegia, ma le altre ancora.

A. M.

Gentilissimo Sig. Milli

Grazie della sua memore cortesia.

Non credo che quei vecchi distici miei meritasser l'onore di una versione; ma da che Le è piaciuto farla, non posso tacere che mi paiono belli i distici suoi. Ella ha particolari attitudini a tornare in credito il latino negletto; seguiti dunque, fidente, nello studio e nell' amor suo.

Con vera stima,

Suo dev.mo

p. G. Manni.